



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

Ortus Ignatij, & educatio. Cap. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

62  
131  
tis  
53  
93  
ni  
113  
25  
8.  
93

# DE IGNATII LOIOLAE VITA ET MORIBVS.

LIBER PRIMVS.

Ortus eius, & educatio. Cap. I.

**I**Nea Hispaniæ regi-  
one, quæ ad Pyre-  
næum pertinet, ac  
vulgi sermone Gui-  
puzcoa nomina-  
tur, in primis clara  
est Loiolarū fami-  
lia. Eius familię prin-  
ceps Bertramus, Ognis & Loiolæ do-  
minus, quæ loca sunt in finibus vrbis  
Aspeithiæ, in matrimoniu ducta Ma-  
rina Sone, æquè clari generis foemina,  
quinque suscepit ex ea filias, filios o-  
cto: quorum minimus natu fuit Ignatius  
is, quem Societas I E S V parētem  
agnoscit; cuius de vita & moribus, quæ  
nobis fuerint comperta, in vnius Dei  
gratiam gloriamque litteris mandare

A decre-

2 IGNATII VITAE

decruimus. Hisce ergo parentibus natu-  
tus Ignatius est anno post Virginis par-  
tum M. CDXCI. regnibus in Hispania  
Ferdinando & Elisabetha, cognome-  
nto Catholicis. Ac de prima ipsius  
pueritia id vnum constat, haud ita se-  
uera disciplina educatum à suis fuisse;  
atque ab ipsis incunabulis, vt in opu-  
lēta domo, profanos admodum hau-  
sisse spiritus: deinde litteris vixdum à  
limine salutatis, cùm esset eximia & a-  
nimi & corporis indole, continuo in  
Ferdinandi regiam à patre missum, ve-  
teri Hispaniæ more, quo in regno prin-  
cipum liberi ea fere conditio ne ac iu-  
re nascuntur, vt maximus ætate dum-  
taxat in patrimonio, imperioque suc-  
cedat; reliqui, siue ad acuendam gentis  
industriam, siue ad familiæ splendorē  
in uno capite retinendum, portiuncu-  
la quadam hereditatis aspersi, quæ te-  
nuem in vicum cultumq; sit satis, vel  
studijs doctrinæ, militiæve dant ope-  
ram, vel aulæ, regumque præsidio ad  
opes, gloriamq; nituntur. Hic ille cum  
in ephebis honorarijs Regi aliquādiu  
ministrasset, aulicis imbutus moribus

ad

ad Antonium Manricum sese contulit Naiarensium ducem, ex ijs, quos in Hispania magnates appellant; quo cū Loioleiæ genti necessitudo vetus intercedebat. Atque apud hunc domi forsique in honore habitus, rei militaris tyrocinia posuit: & quod ijs ferme vsu venit, qui nōdum cælestes delicias degustarunt, id ipsum Ignatio contigit, vt ardenti laudis humanæ studio, & cō munis cōsuetudinis impetu abreptus, cum esset in corporis ornatu elegantiissimus, equorumque & armorum usu præcelleret; quod sibi datum fuerat temporis ad negotiationem salutis æternæ, id ille miserabiliter, vt plerique mortalium, partim in factionum rixarumque periculis, partim in amatoria vœsania, & cætera sæculi vanitate consumeret. Verumtamen inter eiusmodi vitia, & cæcos errores, præclara quedam emicabant bonæ ac religiosæ mētis indicia. Primum enim in tanta licētia militari, tamque corruptis hominum moribus, quamuis animo consternatus esset interdum, & multis vndeque cinctus angustijs; nulla tamen i-

A 2 pslus

IGNATII VITAE

ipsius atrocior vnquam audita vox est,  
quales multæ à nefarijs hominibus in  
Deum, ac Dei prouidentiam vulgo ia-  
ctantur. Nec solum ab omni verborū  
impietate semper abhorruit, sed etiam  
sacra omnia, sacrorumque antistites  
naturæ perpetuo instinctu admodum  
religiose reueritus est. Erat præterea  
intactus ab avaritiæ sordibus, & à lucri  
cupiditate vchementer alienus; quod  
cum aliâs, tum vero in expugnatione  
vrbis Naiaræ, quæ in Cantabriæ fini-  
bus est, perspici potuit: quam cum ob  
defectionis crimen dux militi diripiē-  
dam dedisset; Ignatius, quamvis ad ip-  
sum victoriæ pars non exigua pertine-  
ret, tamen nec præsentis prædæ dulce-  
dine, nec cæterorum exemplo adduci  
potuit, vt sese alienæ rei contactu pol-  
lueret; non Christiano solum, sed etiā  
ingenuo homine id indignum existi-  
mans. Quæ ipsius altitudo animi in pri-  
uatis quoque dissidijs ac simultatibus  
eminebat; vt si quando ex certamine  
dignitatis (vt fit) ad manus pugnam-  
que venisset, si locus reconciliationi  
daretur, illico vna cum armis odium  
om-

L I B E R P R I M V S .

omne deponeret, & cum inimicis in gratiam planè bona rediret fide. Neq; verò eidem in magnis arduisque negotijs vel capessendis alacritas, vel gerendis consilium & cautio deerat. quocirca inter quosdam Cantabriæ populos graui orta seditione , legatus ad eos à duce Naiaræ, breui controversias omnes magno partis vtriusque consensu & approbatione diremit: ac licet iuuenis admodum esset ætate, in agendo tamen, tractandisque hominum ingenij iam tum senilis quædam in eo maturitas apparebat; prorsus, vt negotiū nullum ferme susceperebat, quod nō ad optatum exitum sua lenitate ac virtute perduxerit. quamquam ob imperitiam rerum diuinarum hæc tam egredia animi bona, & quasi talenta non optimè collocabat interdum: ad hominum videlicet gratiam, ac sui ipsius incrementa ijs artibus vtens, quas ad unius Dei honorem & gloriam omnino referri oportuerat.

*Conuersio eius ad Christum.*

*Cap. II.*

H V N C maximè in modum adoles-

A 3 cen-